


 Proximos. Laniena gravior ad hoc diu perseveravit, non ut stantem fidem desiceret, sed ut homines Dei ad Dominum Velocius mitteret. Hic est Agon, quam nobis ostendit beatus Apostolus Paulus, in quo oportet nos currere, & ad Coronam Glorie pervenire. Hunc igitur agonem Martiris suo, & collegarum suorum nomine Proconsuli repromisso. Nec festulans in promisso suo, & Palmam, quam meruit, accepit. Opto pariter, & exhortor, ut quos vinculum confessionis & hospitium carceris simul junxit, jungat etiam consummatio virtutis, & Corona Caelestis. Neque secus in Epistola ad Moysen, Maximum, & ceteros Confessores, eos laudat, qui jam de Saeculo recesserunt, confectoque itinere virtutis ac fidei, ad **COMPLEXUM V OSCULUM DOMINI**, Domino ipso gaudente, & venerunt. Pariter in Epistola ad Plebem Thibaritanam scribit: Gaudere nos, & exultare voluit in persecutionibus Dominus; quia quando persecutiones fiunt, tunc dantur Coronae fidei, tunc probantur milites Christi, tunc **MARTYRIBUS PATENT COELI**. Sunt & ibi alia, quae praetermitto. Similia habes in Epistola ad Nemesianum, Felicem &c. ubi de quibusdam Virginibus mortem pro Christo perpessus ait: Quas ad Caelestem Coronam gloria geminata procegit. Ipsos vero alloquens addit: Expectatis quotidie voti perfectionis vestrae salutare diem, & jam jamque de Saeculo recessuri, ad **MARTYRUM** manera & **DOMICILLA DIVINA** properatis, post has Mundi tenebras visuri candidissimam Lucem & accepturi majorem passionibus omnibus & afflictationibus Claritatem, Apostolo contestante & dicente: Non sunt condignae passiones &c. Sed praeter ceteris legenda sunt, quae is concessit in calce Libri de Exhortatione Martyrii: Quis ergo non omnibus viribus laboret ad tantam Claritatem pervenire, ut amicus Dei fiat, ut **CUM CHRISTO STATIM GAUDEAT**? ut post tormenta & supplicia terrena, **PRAMIA DIVINA PERCIPIAT**? Si militibus saecularibus gloriosum est, ut, hoste devicto, redeant in patriam triumphantes: quanto potior & major est Gloria, victo Diabolo, ad Paradisum triumphanter redire? Cohortem Christi fieri? Angelis aequari? Cum Patriarchis, cum Apostolis, cum Prophetis, Caelestis Regni possessione letari? Quanta est dignitas, & quanta securitas exire hinc letum: claudere in momento oculos, quibus homines videbantur & Mundus: & aperire eisdem **STATIM, UT DEUS VIDEATUR ET CHRISTUS**?

Catholici dogmatis testem luculentissimum habemus Cyprianum, cujus quanta semper fuerit auctoritas & estimatio in Religionis & Ecclesiae rebus, is tantum ignorat, qui in Ecclesiastica eruditione omnino sit hospes. Quod plus est, communis etiam aliorum Catholicorum sententia erat, statim ut emigrabant e vita generosi Athletae Christi, eos ad alteram beatam vitam in Coelos transferri. Neque heic suspicioni, quam intoleranda impudentia Burnetus excitat, relinquatur locus, quasi sacri Antifites, quod minime crederent, depraedicarent, eo consilio, ut alacriores promptioresque ad certamina pro Christo Fideles, urgente persecutione, efficerent. Evertat Reli-  
gio-